



1. Rhein: Nauntelij, Jesuiter
probe. 1595.
2. Urs. Eibenhold confir-
matio gegen die Jesuiter.
1596
3. Jesuiter Spuezel 1596
4. Chr. Francken colloquium
Jesuiticum. 1580

- 5. pauli Albutij
Jesuites gespräch 1581
- 6. pauli Scheudtichij
ansicht a by anig. des Jesuites
Catechismi 1588
- 7. antirofarianum sine
refutatione Gottfr.
Griehis Jesuita. 1587
- 8. Lucae Ascandri Bonif.
opus in scriptis anst. dei
papae articulo waterdorffo
1601

Augu. Jul

1



1721



ANTIROSARIUM,

Sive

REFVTATIO

THESIUM M. GODE-
FRIDI DRIELIS NOVIO-

magi: Pontificiæ Theologiæ apud Jesui-
tas Moguntinenses studiosi:

*Quibus demonstrare voluit, Ritum precandi Rosarium B.
Virginis Mariæ non esse superstitiosum:*

Scripta à quodam Christianæ Theologiæ stu-
dioſo, in Academia Heydelbergenſi.

1. Ioh. 5. 21.

Filioli, cavete vobis ab idolis.



Apud Joannem Mareschallum
Lugdunensem,

M D L X X V I I.

AD LECTOREM.

Ἄειπε Πάπυ βρόδα, δηὰ ρόδα Χεισοῖο πίεζε
Ἄντὶ βρόδων τειβόλοισ ἢ βρόδα λείπε Πάπυ.
Γαμβασιλῆα Θεὸν μῦνον κίεπισκε, μόνω τε
Ἐψθρόνω κραδίη αἰὲ λάβευε σὴ.
Οἶον δὴ ὄσλις πλακίης δίχα πάγχυ γήοιο,
Παντοδαῆς τε πρέπη ἰλαδὸν ἄμμι καλεῖν
Οἶον χ' ὄσλις ἔφυνη μέρτης κερδιογώσης,
Γανδιώατος τε πρέπη ἰλαδὸν ἄμμι καλεῖν
Οἶον χ' ὄσλις ἔφυ συμπαίντων κοίρανος ἔρρη,
Παμβασιλῆς τε καλεῖν ἰλαδὸν ἄμμι πρέπη
Ἰλαδὸν ἄμμι πρέπη κόσμυ κλισιὴν ἀπάπαντος,
Καὶ Μαρίας κλισιὴν ἔμαρίων ἴ, καλεῖν.
Ἄειπε Πάπυ βρόδα, δηὰ ρόδα Χεισοῖο πίεζε
Ἄντὶ βρόδων τειβόλοισ ἢ βρόδα λείπε Πάπυ.

7. C.

ANTIROSARIUM,
CONTRA M. GODE-
FRIDVM DRIELEM, PON-
tificiæ Theologiæ, apud Jesuitas
Moguntinenses, stu-
diosum.



UÆSTIO huius disputa-^{Quæstio.}
tionis est: *an Ritus precandi*
Rosarium B. Virginis Mariæ,
ut Magister noster loqui-
tur, sit superstitiosus. Hoc est:
an sit superstitiosum, B. virginem Mariam,
certo numero fuis Orationibus Dominicis, &
Salutationibus Angelicis invocare. Oratio
Dominica dicitur ea, qua Christus Pa-
trem nostrum qui est in cælis, nos docuit
invocare. Salutationē Angelicam vocant
hæc verba Gabrielis ad Mariam: Ave Luc. i. 28.
Maria, gratia plena, Dominus tecum: bene-
*dicta tu in mulieribus. Et illa Elisabethæ: Luc. i. 42.
Et benedictus fructus ventris tui. Quibus
subjiciunt vocem JESUS. unâ cum hac
clausula: Sancta Maria, mater Dei, ora pro Eccl. Rom.
nobis, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.
*Superstitiosum est, quod superstitionis**

aliquid in se habet. Superstitio autem est falsi Dei cultus: aut veri Dei falsus cultus. quemadmodū pietas aut religio, est verus veri Dei cultus.

ratus Con-
overfiz.

Nos respondemus: esse superstitiosum: Pontificii negant. *Et ante centum quidem annos aut amplius: quando nec Biblia vulgo legebantur: nec Papæ contradicere licebat: mirum non est: non hunc tantum (vt noster Antagonista gloriatur:) sed & alios multos contra fidem Catholicam errores, à multis esse receptos ac defensos. Nunc autem in tanta doctrinarum omnium luce: quanta ab Apostolorū tempore vix unquam fuit: & restituta, Dei beneficio, per pios Reges ac Principes recte sentiendi scribendiq; libertate: jure profectō quis mireretur, reperiri hominem: præsertim à Jesuitis institutum: qui tam crassam Idolo- maniam, tam crassis & insulsis argumētis: quā sunt in his Thesisibus: ausit propugnare. Sed hoc nimirum est illud Dei judiciū, de quo Paulus ad Romanos scribit: ut qui ipsum in notitia retinere nolūt: eos vicissim tradat in mentem omnis judicii expertem. Et contemni potuissent istæ nugæ: nisi viderentur Pontificii nostro*

com. r.

stro

stro silentio fieri insolentes: & sperare, dum nos intestino quodam ulcere distinemur: se illud quoque Bestiæ vulnus, Apoc. 13. quod hætenus incurabile visum est, curaturos esse. Quod ipsorum consilium, utinam perpenderent illi qui debebant: & maturè junctis copiis communẽ hostem adorirentur! Equidem ista scriptione nemini palmam præripere volui: sed quia indignus erat hic tyro veteranorum læcertis: ipse eum sum aggressus. Is pro cuius gloria pugnamus, felicem eventum pugnæ largiatur. Quid ergo? quid moliris, Romanensium defensor?

Demonstrabo, ait, ritum precandi Rosarium non esse superstitiosum, ut sectarii fabulantur. THES. N

Herbam tibi porrigam: si sectarios hinc fabulari demonstraris.

Demonstrabo, ait, hoc Epicheremate:

In Rosario quinque sunt: Nomen, Orationes, Repetitio, Numerusq; earundem: Syll. adve
sarii prin

& Calculi precarii: quæ constat omni superstitione vacare.

Ritus igitur precandi Rosarium non est superstitiosus.

En demonstratorẽ: planè Aristoteleum.

tende le-
or fraudē,
& infra
of. 4.

Propositio, quam omisit, est principium, scilicet, necessarió verum. Nam *Quod de nulla parte dici potest, id de toto dici nequit*: ut de nulla parte Papæ dici potest, quod sit homo: anima eius non est homo, corpus nō est homo. Ergo recté scribit Glosator Iuris Canonici, QUOD PAPA NON SIT HOMO. Assumptio par est Propositioni. Nam partes Rosarii quinque sunt: Nomen, Orationes, Repetitio, Numerusq; earundem, & Calculi precarii: sicut Logicæ partes quinque sunt: Nomen, Præcepta, Repetitio, Numerusq; eorundem, & Notæ memoriæ causa ad margines appictæ: *quæ partes omnes omni superstitione vacant*: si quis credat nugatori. At TER SEPTEM pro syllogismis comprobabit. Scilicet, hæc est natura Demonstrationis. Sed audiemus tamen.

HES. II.

DE NOMINE ROSARII.

of. I.

Nomen, inquit, Rosarii est suavissimum, Ergo superstitione vacat.

Quid ita? quia *Quicquid suave est, superstitione vacat*. Hæc enim erit Propositio, si syllogismus sit perfectus. At propositio nō tantum falsa est; sed etiam inepta. Quid enim

enim

enim stultius, quàm ex titillatione sensuum Religionem aestimare? Sed vera sit: & conclusio quoque vera sit: h.e. Nomen Rosarii superstitione vacet: quid tū postea? num idcirco res etiam illo nomine significata superstitione vacabit? Num quicquid suave nomen habet, id quocunque modo vsurpetur & tractetur, superstitione vacat? Id enim præsупponere te oportet, si quid ex Nomine Rosarii concludere voles. Atqui hoc modo ne Jovis quidem cultus erit superstitiosus. Dicitur enim Jupiter (vt Grammaticis Latinis visum est) quasi iuvans Pater: quo nomine, homini dulcius nullum esse potest.

Hic primus est Prosyllogismus: cedó secundum?

Serta virginum capitibus propriè adhibentur: Prof. 2.

Sive: *Serta virginibus sunt offerenda.* Quævisne, quibusvis? Ergo & triumphalia, & ovalia, & obsidionalia, & quæ plura sunt genera sertorum.

Atqui Rosarium est sertum: Maria autem virgo.

Equidem Rosarium putabam esse hortum rosis consitum: & ita me Lexicogra-

phi docuerunt. Sed vos ut Religionem, ita linguam quoq; vultis habere novam & peculiarem. Rosarium igitur vobis est fertum: sed quale nam? *Sertum*, inquis, *est Spirituale*. At Propositio de corporalibus loquebatur: quomodo igitur de spiritualibus subsumis? quæ hæc est ratio argumentandi? & quot termini sunt in tuo Syllogismo? certè, imperitus es, si non vidisti: impudens, si de industria fallere voluisti. Pergetamen, & rosas tui ferti nobis describe. *Sunt*, inquis, *voces mystica, ex Evangelio deprompta*. Falsum, inquam, est hoc totum. Neque enim vel Oratio Dominica & salutatio Angelica mysticæ sunt: si quid mysterium sit, intelligis: neque ultima illa rosa: *Maria ora pro nobis*: est ex Evangelio deprompta. Conclude nunc, si lubet; imò verò, quia per tot & argumenti & argumentationis vitia non licet, tertium Prosyllogismum meditare.

HE S. III.

DE ORATIONIBUS ROSARII:

of. 3.

*Quod est sanctum, non est superstitiosum:
Orationes Rosarii sunt sanctæ:*

Ergo non sunt superstitiosæ. Et per consequens: offerre eas B. virgini, non est superstitiosum.

R. Plus

R. Plus est in conclusione, quam fuit in præmissis: quanquam & illarū altera est ex parte falsa. Nam ut de Oratione Dominica, & verbis Angeli atque Elisabethæ, persuasi sumus, ea esse sanctissima: ita de vestra precandi formula, quæ his verbis constat: *Maria mater Dei, ora pro nobis, nunc & in hora mortis nostræ*: scimus eam non tantum non sanctam: sed etiam blasphemam, sed idololatricā, sed planè diabolicam esse. Scriptum enim est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et unus est Mediator Dei & hominum, Homo Jesus Christus. *At Ecclesia sic prescripsit, inquis?* Non Ecclesia, inquam, sed qui se Ecclesiam esse jactitabāt: nihil autem minus erant: quia vocem Christi non audiebant: id quod ipsemet fateris, quando scribis: *eos idcirco hanc orationunculam composuisse, ut formam quoque precandi haberent*. Nam si Christum audiissent: neque defuisset illis precandi forma: neque Matrem Christi, sed Patrem invocassent. Verum, de his non pluribus agemus. Nam & manifesta sunt: & licet obtineres: nondum tamen preces Rosarii ab omni superstitione vindicasses. Non

Matth. 4. 10

1. Tim. 2. 5

Ioh. 10. 27.

enim tantum quæritur, quales in se sint: sed etiam quomodo à vobis usurpentur.

Itaque fac, preces illas omnes esse sanctas: fac, non esse superstitiosas: Num idcirco earum recitatio quoque ad Mariam virginem directæ, sancta erit & non superstitiosa? Tu quidem hoc subnectis: sed consequentia planè eiusmodi, qualis esset in hoc exemplo:

Vinum est res bona:

Ergo vino se ingurgitare non est malum. Si quis vini gurges aduersum te sic argumentaretur: quid quæso responderes, Demonstrator? Equidem haud ignoro: sed parco tuis auribus: quanquam vix es dignus. Nimis enim crassus error est: non discernere *inter rem & rei usum*. Res omnes à Deo creatæ bonæ sunt: At non quivis earum usus est bonus: sed is duntaxat, ad quem sunt creatæ. Vinum est res bona: sed abusus vini non est bonus. Sic Oratio Dominica per se est sanctissima: sed abusus ejus non est sanctus. Abutitur autem Oratione Dominica, quisquis eam ad Mariam dirigit. Nam in hoc à Christo non est facta. Nec abutitur simpliciter, sed simul & horrendam idololatriam, & nefan-

nefandum sacrilegium committit. **TRI-** Rosarii O-
BUIT ENIM CREATURÆ, QUOD ratores ido-
EST PROPRIUM CREATORIS. Et Sacrilegi.

primū quidem, infinitam scientiam ac
 potentiam: dum se in terris orantem, à
 Maria quæ est in cælis, audiri, iuvari que
 credit. Deinde cætera omnia, quæ in O-
 ratione Dominica recēsentur: v.g. ut san-
 ctificetur nomen Mariæ: ut remittat no-
 bis debita nostra: ut liberet nos à malo:
 quia ipsius sit regnum, & potentia & glo-
 ria, in secula seculorum. Tu, si fecisti, ne-
 ga. Imó veró ais, constanter nego. Tere-
 tianus es nimirum. Sed qua fronte negas?
 quia non Mariam sic alloquimur, sed Deum
 in Maria. Cur ergo vos convertitis ad
 Mariam, cum oratis? nempe, quia scriptum ^{Psal. ult.}
 est: laudate Dominum in sanctis eius. At vi-
 tiosa est interpretatio Latina. Deinde,
 scriptum est ibidem: Laudate Dominum
 in tympano. Num idcirco tu prostratus
 coram tympano, dices: Pater noster,
 tympanum, qui es in cælis sanctificetur
 nomen tuum: & quæ sequuntur? Vanai-
 gitur hæc est excusatio: neque vana tan-
 tūm: sed falsa etiam & mendax. Nam si to-
 tum Psalterium ad Mariam accommodastis: Nota.

quidem Orationem Dominicam ad eandem accommodaretis? Extat autem publicé liber iste, plusquam blasphemus & Satanicus: in quo oratis:

Domina^a, quæ es in calis^b: & gyrum terræ SOLA circumis, ut subvenias invocantibus te^c. Nomen tuum sanctum confiteatur omnis caro^d. Benedictum sit imperium tuum^e. Legem pone mihi voluntatis tuæ, & exquiram eam semper^f. Da mihi sustentationem^g. Munda me ab OMNIBUS iniquitatibus meis^h. Accedite ad eam in tentationibus vestris, & stabiliet vos serenitas vultus illiusⁱ. Deduc me, ad portum salutis^k. Propter imperium & magnificentiam dexteræ tuæ^l.

Horresco referens execrandas Septicipitis Bestiæ voces; & tamen referre cogor; ut simpliciores cornua & ungulas ejus agnoscant; sibi que cavere possint. Hoc ne est Deum in Maria invocare? hoc ne est laudare Dominum in Sanctis ejus? Atqui, dices, in Rosario Patris appellationē retinemus. Videlicet, ut indicetis, qualia monstra sitis, qui fæminam patrem habeatis; & ut quotidie vel centies testemini, Deum non esse Patrem vestrum; neq; vos esse filios Dei. Sed quid ego aliunde voluntatis

^a in singulis

Pfalm.

^b Pfal. 38.

^c Pfal. 11.

^d Pfal. 5.

^e Pfal. 35.

^f Pfal. 118.

^g Pfal. 115.

^h Pfal. 51.

ⁱ Pfal. 2.

^k Pfal. 3.

^l Pfal. 29.

Apoc. 13. 1.

voluntatis vestræ testimonia accerso? tu ipse thesi secunda diserte fateris: vos preces Rosarij B. Virgini Mariae offerre, tanquã fertum spirituale, quod capiti ipsius ornando PROPRIE cõveniat. Ergo Deo IMPROPRIE. Ô os impudens & blasphemum! inunc, & dic preces Rosarii nõ esse superstitiosas. Et tamen nondum omnes sunt examinate. Restat enim Salutatio Angelica, verbis Elisabethæ amplificata. Cuius recitatione primùm quidem, Mariæ scientiam infinitam rursus attribuitis. Nam alias non poterit vos in tam multis terræ angulis eodem tempore consalutantes exaudire. *Speculum enim Trinitatis, in quo Sancti olim omnia videbant, iam pridem est à Canisio fractũ: & substituta potentia Christi: sed quæ nihil efficit, nisi voluntas accedat.* Deinde insignem vestram fatuitatem proditis; dum quod Angelus & Elisabeth ex officio suo peculiari fecerunt; vos quoque vobis faciendum existimatis; perinde atq; simiæ; quæ quicquid homines factitare vident, imitantur. Imó veró simiis ipsis stultiores estis. Illæ enim simile quid conantur; vos omnia dissimilia. Angelus iussu Dei Mariam salutavit; vos ar-

Catechil
cap. 3.
Sect. 8.

bitrio vestro. Angelus præsens præsentem salutavit; vos toto cælo absentes, in cælo existentem salutatis. Angelus salutavit eam semel; vos semper. Angelus, ut initiū suæ Legationis faceret; vos ut remissionem peccatorum mereamini. Quomodo hæc inter se conveniunt? nempe, ut ignis & aqua. Et tamen non pudet vos exemplum Angeli prætexere superstitioni vestræ! Habes jam responsum ad tertium tuum Prosyllogismum; paulló quidem prolixius; sed necessarium tamen; propter ambages, quibus nos circumduxisti; ne foetorem Rosarii vestri statim olfaceremus. Quód si directé argumētatus esses, in hunc modum;

Quod est sanctum, id cuivis offerri, absque superstitione potest.

Orationes Rosarii sunt sanctæ.

Ergo Maria absque superstitione offerri possunt.

Respondissem paucis; Propositione principium petis; & in Assumptione crimen falsi committis.

DE REPETITIONE PRECUM.

RES. IIII.

Quartus tuus Prosyllogismus, ad tertiam

tiam Rosarii partem à superstitione purgandam, ita habet;

Quod valet ad excitandum, inflammandumque precantis affectum, non est superstitiosum. Prof. 4.

Repetitio orationum valet ad excitandum inflammandumque precantis affectum.

Ergo non est superstitiosa.

R. Propositio major est particularis; minor falsa. Nam & Mahometi cultus nos inflammat, ut ardentius pro sanctificatione divini nominis oremus; neque tamen superstitione vacat. Et certum est, non repetitionem ardentis affectus; sed ardentem affectum repetitionis precum, esse causam. Sed heustu, Domine Magister! cur repetitionem precum, & numerum earundem sejungis? non est quæstio an preces repetere liceat. Nam & nos easdem preces & publicè & privatim sæpè repetimus. Sed hæc est quæstio; an certas precandi formulas, certo numero, v.g. quinquies, decies, aut quinquagies, continuè, non ex corde, sed ex consuetudine, & linguâ etiam ignotâ, repetere, proq; ista repetitione, tanquam pro pecunia annumerata mercedem, seu mercem potius à

Deo, tanquam à Mercatore, poscere, sit
superstitiosum?

Prof. 5.

Dan. 3.

Psal. 119.

a

p

b

c

d

e

f

g

h

i

k

l

m

n

o

p

q

r

s

t

u

v

w

x

y

z

A

B

C

D

E

F

G

H

I

J

Itaque frustra adducis, quæ hîc addu-
cis ex Scripturis; *trium puerorum in fornace
Babylonica, & Davidis Regij vatis, exempla.*
Sancti illi Dei homines, ex pio cordis af-
fectu, sine certi numeri observatione, ali-
quando easdem voces & sententias, figu-
râ quadam Rhetoricâ, repetiverunt; non
ut ista repetitione aliquid apud Deum
mererentur; sed ut ardentem suum amo-
rem erga Deum, Ecclesiæ testarentur.
Quid simile est in repetitionibus vestris?
Jacet vetula aliqua in sacello Mariæ; mur-
murat quinque Pater-noster; & quinqu-
aginta Ave-Maria; quid autem murmuret
neque intelligit, neq; cogitat; & interim,
propter ista murmura Deum sibi propi-
tium esse credit; quia Sacerdos dixit. Hu-
jus rei produc exemplum sacrum; & vice-
ris. Sacrum dico exemplum; fabulas e-
nim vestras, quas Thesi decima recitas,
non moramur. Sed de illis postea; nunc
cætera tua pro Repetitione precum argu-
menta repetemus.

HES. V.

Col. 6.

Luc. 11. & 18.

*Adfers igitur deinceps mandatum Chri-
sti, de assiduitate in orando, duabus parabolis
illustra-*

illustratum; illog. HANC hoc est, talē, qualis vestra est, modó à me descripta; *repetitionem à nobis postulari dicis.* Dicis, inquā, sed non probas. Vult nos Christus in nostris necessitatibus apud Deum instare; etiam si nolle nos audire ad tempus videatur; quemadmodū afflictā illa vidua institit apud iudicem iniustū; qui initió non audiebat preces ejus. Hic ne tu putas, viduam iisdem semper verbis usam, easdemq; preces primo accessu quinquagies quinquies, & toties secundo, tertio, quarto, quinto, ante fores declamasse? Delirare eam judicasset iudex, & catenis vinciri, domumq; reduci iussisset; opem illi non tulisset. Sed bene habet; tu ipse recitas tuum argumentum.

Heretici, inquis, dicunt, Parabolas illas nihil aliud sibi velle, quam perseverantiam in oratione in primis esse necessariam. Et quid tu? *Non diffiteor, inquis: at efficiunt illud quoque: quid efficiunt? imó jam concessisti, quod nihil aliud efficiant.* Si nihil aliud, id quod tu *præterea* adjicies, falsum erit. Duo enim contradictoria simul vera esse non possunt. Verum perge: quid efficiunt *præterea? Repetitione fieri, ut perseveremus.* Si

THES. VI.
Occupatio
Aduersarii.

Vide supra
Prof. 4.

repetitionem perseverantiæ causam effici-
cientem esse credis, erras; & matrem ex
filia nasci credis. Si formam perseverantię
repetitionem statuis, ex parte quidem ve-
rum dicis: sed quid hoc te iuuat? Sensus e-
rit: nos perseverare in oratione, preces sæ-
pe repetendo: & quia perseverantia bona
est: repetitionem quoq; precum esse bo-
nam. Et quis hoc diffitetur? si ex animo
fiat: juxta verbum Dei: & in finem bonũ.
Sed, sequitur ne?

Quædam repetitio est bona,
Ergo & nostra.

Non inquires, neq; ego sic argumētor.
Quomodo igitur? Hoc nimirum modo:

*Si cūm orandum est, Oratio Dominica di-
cenda est, in tam brevi orandi formu-
la; quomodo perseverare possu-
mus, nisi Orationem Dominicam idē-
titem repetamus?*

Matth. 6.
Luc. 11.

*At qui cum orandum est, Oratio Dominica
est dicēda: juxta illud Christi: Cum ora-
tis dicite: Pater noster, &c.*

*Ergo ut in orando perseverare possimus,
Orationem Dominicam idētidem ite-
remus oportet.*

Hic ne tuus est modus argumentandi?
hæcne

hæcne peritia pugnandi? Si te nōdum tui pudet, omni fronte cares. Quæris, quomodo in orando perseverare possis, nisi Orationem Dominicam idētidem repetas? An non habes Psalterium Davidis? an non habes Psalterium Mariæ? an non habes Breviarium? an non habes Hortulum animæ? an non habes alias preces infinitas? quibus vel semel recitandis vita vix sufficeret. *At, inquis, Christus iussit nos orare, Pater noster.* Tantumne, Pater noster? Cur ergo vos oratis, Ave Maria: & quidē crebrius, quam, Pater noster? Viden' Lector, quam bene sibi constant, qui semel à veritate discesserunt. Sed tu perge Demonstrator.

Matthæi sexto Christus monet, ne orantes multum loquamur: hoc est: ne inaniter idē repetamus: ut tu ipsemet, & rectē, Græcam vocem interpretaris. Hoc dictum, inquis, Hæretici nobis objiciunt. Et quidni objicerent: cūm vestram βατολογίαυ manifestē damnet. Non nostram, inquis, damnat: sed Ethnicorum. quid ita? quia dicit: sicut Ethnici faciunt. En acumen!

Christus damnat βατολογίαυ Ethnicorum:

Ergó tantúm Ethnicorum: non etiam aliorum.

Cur ergo discipulis suis interdicit? Et quid multis est opus? Christus neminem vult βαπολογεῖν, ut gentes. Ergo neq; vos vult βαπολογεῖν, ut gentes. Atqui, inquis, nos non βαπολογεῖμεν: h. e. non inaniter idem repetimus. Persuade prius rusticis, nivem esse nigram, & tum ad nos revertere.

TH. VII. XI.
Prof. 7.

Interim, quid de *Lactantio* scripseris videbimus. *Ait ille lib. 4. Inst. cap. 28. totos dies precari, non esse superstitiosum: adeoque falli Ciceronem: qui putet superstitiosos à religiosis in eo differre: quod illi totos dies: hi moderate*

LUC. 2. 37.

Deos precarentur. Recte sané: nam & Anna Prophetissa jejuniis ac deprecationibus noctes diesq; Deo serviebat: neq; tamen propterea superstitionis est notata. Ergo, inquis, neque in Rosario repetitio precum est superstitiosa. Hoc veró tum sequetur, quando probaveris, de tali & talium precum repetitione Lactantiú locutum esse. Neq; tamé necessarió sequetur. Nam Lactantius eodem loco dicit: si verum Deum colas, non interesse, quomodo eum colas:

Math. 15. 9. quod aperté cum Scriptura pugnat. Et si

Lactan-

Lactantium tanti facitis: nos certé magni eum facimus: sed cum iudicio tamē legimus: & cum Scriptura comparamus: ut cæteros quoq; Patres: quia nullus eorum est, qui nō alicubi errârit: Si, inquam, Lactantium tanti facitis, cur igitur idola fabricatis? cur coram eis vestras preces, vestrum Rosarium, recitatis? quæ omnia ut stulta, superstitiosa & blasphema, Lactantius damnavit, lib. 2. Instit. cap. 2. Non cōtra nos scripsit, rursus inquires: sed contra Ethnicos. Scilicet, in vobis laudabit, quod in Ethnicis reprehendit. Lac lacti non est similius: quàm vos estis illis, contra quos Lactantius ibi disputavit.

Hieron. in
Epist. ad Pā-
machium.

DE NUMERO PRECUM.

Et sic tertiam quoq; Rosarii partem à superstitione vindicasti. Quarta pars est Numerus. Hunc quomodo vindicabis? Duobus scilicet argumentis. Primum ab exemplis ductum erit, rursus bipartitum. Alia enim exempla sunt ex sacris Bibliis descripta: alia aliunde comportata. Ex sacris Bibliis est *exemplum Angelorum: qui in hymno suo ter eandem vocem iterarūt. Item que Davidis: qui septies in die laudem dixit*

THESS. X.

Prof. 8.

Esa. 6. 3.
Psal. 119.
164.

Matth. 26.
39. 42. 44.
2. Cor. 12. 8.

Deo. Et Christi, qui in horto orans, tertio eundem sermonem repetiuit. Ac denique Pauli, qui ter Dominum rogauit, ut Angelus Satan à se discederet. Et hæc omnia fecerunt sine superstitione. unde vis efficere: neque vestram curam circa preces numerandas esse superstiosam.

apoc. | 4. 8.

Quasi verò illi Deo preces suas ANNUMERASSENT: (ut tu de te tuisq; sodalibus significanter loqueris) sic, ut pro certa precum summa, certam indulgentiarum summam reportarent: Angeli ter eandem vocem repetiuerunt: & Sanctus, Sanctus, Sanctus clamarunt: ad notandam perfectionem sanctitatis Dei. Totum verò canticum, non ter, aut septies, aut quinquagies, aut ullo certo numero repetiuerunt: sed dies noctesq; SINE INTERMISSIONE continuauerunt. Itaq; si vos estis Angeli Dei, cur non etiã Deum potius, quàm Mariam prædicatis? & cur preces vestras intermittitis, factoque penitentiæ domum refilitis? *David septies in die laudem dixit Deo, eiusq; exemplum, inquis, secuta Ecclesia, diuinum officium septem horis diurnis nocturnisq; absoluit: quasi velis dicere: Ergo & nobis Marianis preces nostras numerare*

rare

rare licet. Fateor certé, tuam consequen-
tiam esse valde bonam. Nam si toti Eccle-
siæ licuit quilibet ex quolibet conclu-
dere: quid ni liceat Marianis? David septi-
es in die laudem dixit Deo: ergo fuit Ca-
nonicus Hierosolymitanus. Pudeat vos
tam rancidas Monachorum nugas nobis
reponere, & in lucem iterum collocare.
Nūquam hoc Davidi in mentem venit:
ut vel singulis diebus septies: non sæpius
aut rarius, oraret: vel eundem Psalmum
uno ad Deum accessu septies recantaret:
sed finitum numerum posuit pro infinito;
ut & in illo: Justus in die cadit septies: idē-
que voluit dicere, quod Psal. 34. 1. dicit:
Benedicam Jehouæ omni tempore: sem-
per laus eius in ore meo. Ad Christum
quod attinet, neq; ille eādē vice ter eū-
dem sermonē repetivit: sed tertió rever-
sus: neq; eundem sermonem quoad ver-
ba, repetivit: sed tantum quoad sensum. h.
e. eādē rem á Patre petiit: quam dictio-
nem sacram, si tu non intelligis, indignus
es, qui sacra tractes. Paulus deniq; cum
scribit; se ter Dominum rogasse: nihil ali-
ud intelligit, quam quod vester interpret
Lyranus primo loco in explicatione sua

Prov. 24. 1

ponit: nempe, quod *sæpe* Dominum rogarit: & tandem hoc responsi tulerit: sufficiat tibi gratia mea. Quid hîc pro Numero vestrarum precum? Et fac ter Paulum sic orasse: num unâ eâdemq; horâ? & num postea triplicatas illas preces unquam repetivit? num Mariæ obtulit? num mercedem postulavit? ô imitatores, non Pauli: sed Saulis, non Christi: sed Antichristi, nō Davidis: sed Neronis, nō angelorum: sed diabolorum.

Atq; hæc ex Bibliis descripta sunt, vestræ, si quis credat negociationis cū Deo exempla. Cætera, quæ aliunde compertasti, partim fabulosa sunt: partim vitiosa. Fabulosum est, quod narrat Abdias Babylonius: D. Bartholomæi auditor; ut tu dicis: Simonis ac Iudæ comes in Persiam; ut ipse de se scribit: ab interpretib. auctus: ut ipsimet fatentur, & ex serie narrationis liquet: nominatim ex libro VI. in quo Abdias Babylonius, qui Christum in carne vidit, citat Iulium Africanum, qui circa annum Christi 220. claruit. Is, inquam, Abdias narrat:

*Divum Bartholomæum centies per diem,
totiesq;*

totiesq; per noctem flexis genibus orasse Deū:
(Nota; Deum, non Mariam.)

Quanquam non in sua persona narrat,
sed Dæmonis cujusdam sermonem re-
fert. Qui interrogatus à Sacerdotibus Ido-
li Astaroth, qualisnam esset Bartholome-
us, ut ipsum possint agnoscere, ita eū de-
scripsit; *Est capillo nigro & crispo, caro illius*
candida, oculi grandes, nares æquales, & dire-
ctæ, aures coopertæ crine capitis, barba proli-
xa, habens paucos canos, statura æqualis, quæ
nec brevis nec longa possit aduerti. Vestitus co-
lore albo, clavato PURPURA. Induitur
pallio albo, habente per singulos angulos singu-
las GEMMAS purpureas. Viginti sex anni
sunt, ex quo non sordidantur vestimenta ejus.
Similiter & sandalia ejus, amentis latis, per
XXV. annos nunquam veterascunt. CEN-
TIES FLEXIS GENIBUS PER
DIEM, CENTIES PER NOCTEM
ORAT DEUM. Vox ejus quasi tuba
vehemens est. Ambulant cum eo Angeli
Dei, qui non permittūt eum fatigari, non esu-
rire. Semper eodem vultu, eodem animo per-
severat, omni hora hilaris, & letus permanet,
omnia prævidet, omnia novit, &c. Quæ de-
scriptio perinde vera est, atq; illud, quod

Descriptio
Divi Bartho-
lomæi à Dæ-
mone facta

a Scilicet,
D. Bartholo-
mæus pur-
puratus
fuit: cæteri
pannosi. Lib
VI. apud
eund.

paulló post Abdias cōmemorat, D. Bartholomæum clauso ostio ad Polimium Regem Indiæ, ingressum esse, & inter cætera dixisse; *Mariam virginem, antequam Angelus ad eam veniret, execratam esse omnem virum, & perpetuam virginitatem, primam Deo vovisse, contra quam Euangelistæ scribunt.*

Matth. I. 18.
Luc. I. 27.

Vitiosa exempla sunt cætera tria;
Macarii, videlicet, qui centum;
Pauli Aegyptii qui trecentas, &
Virginis CUJUSDAM in QUO-
DAM vico, quæ septingentas orationes quo-
tidie ad Deum fundebat (nota iterum, ad Deum, non ad Mariam) ut Palladius refert, alioquin insignis fabulator, in Lausiaca, quæ dicitur, Historia, Sect. 21. Nam apud Socratem, quem tu etiam citas, nihil tale reperitur.

H. E. S. X I.

Alterum argumentum pro Numero precum, à dissentaneis ductum est, in hunc modum.

Col. 9.

Quod est mysticum non est superstitiosum,

Numerus Rosarii est mysticus,

Ergo non est superstitiosus.

Assumptionem primùm illustrat Disputator,

putator, comparatione ejus numeri, qui est in exemplis Sacris antea allatis. *Nam,* inquit, *ternarius numerus Trinitatis, septenarius septem donorum Spiritus sancti symbolum est.* Sed symbolum hoc à quo est factum? Ab hominibus. Atqui solius Dei est, instituere sacræ rei signa. Et ut de numero ternario tibi largiar, eum in cantico Angelorum esse symbolum Trinitatis, divinitus ordinatum, an idcirco erit etiam symbolum Trinitatis in terna prece Pauli? De donis autem Spiritus sancti, vide quam arguté argutemini;

Esaias cap. II. ver. 2. enumerat tantum septem dona S.S.

Ergo sunt tantum septem. Item; Charitatem, gaudium, pacem, &c. Paulus Gal. 5. 22. non nominat dona, sed fructus S.S.

Ergo non sunt dona S.S. ac proinde recté dicit Romana Ecclesia esse tantum septem dona S.S.

Atq; hæc est illustratio Assumptionis; probatio sequitur, plané Magistralis.

Nam, inquis, Orationem Dominicam quinque repetimus; ut quinque vulnerum Christi memoriam refricemus.

Et quis hoc divinasset? Christus Orationem Dominicam nobis tradidit, ut summam rerum à Deo petendarum in conspectu haberemus; de mysterio isto verbum nullum. *At bonum tamē est, vulnerum Christi recordari?* Bonum quidem est id ipsum; sed non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Si vis recordari vulnerum Christi; subinde relegito historias Evangelistarum, & Epistolas Paulinas; in quibus Christus ad vivum est depictus. Et quæso te, quā analogiam habet quinque repetita Oratio Dominica, cum quinque vulneribus Christi? Potius manū tuam intuereris; & in illa quatuor conjuncti digiti, quatuor clavos, quibus Christi manus ac pedes transfixi sunt; pollex veró lanceam, qua latus est apertū; tibi repræsentarent. Verūm, quid deinde facitis:

Salutationem Angelicam cuius Orationi Dominica decies subjicimus, ut in mentem nobis veniat decem mandatorum Dei.

Fatui! cur non eadem, imó triplo minori operâ Decalogum ipsum recitatis; tumq; simul & in mentem, & in os, & in aures; & si ex libro legeretis, etiam in oculos

los, mandata Dei vobis venirent. Et, si Orationem Dominicam ad Deum ipsum dirigitis; ut videri vultis; cur sæpius Mariam quam Deum adoratis? cur decuplo majorem honorem creaturæ, quam creatori datis? Itane diuinæ legis recordamini? ut profani milites vulnerum Christi & Sacramentorum recordantur.

Eadem, inquis porro, Salutationem quinquagies toto Rosario iteramus; ut plenam remissionem peccatorum, quæ quinquagenario numero Iubilai in Scripturis diuinis significatur, intercessione Beatissimæ Virginis, per merita passionis Dominicæ consequamur.

Tunc idololatricis tuis precibus, & numeris Ægyptiis remissionem peccatorum promereberis apud Deum? Non, inquis; *Christus est promeritus.* Quorsum igitur quinquaginta nummi, quos **A N N U M E R E S**? ut *Maria pro me intercedat, quod meritum Christi adipiscar.* Ad me venite, inquit Christus; (& hoc dictum sacrilegi nebulones ad Mariam accommodarunt. Sic enim canunt Psal. 2. in Psalterio Mariæ; *Venite ad eam omnes, qui laboratis & tribulati estis; & refrigerium & solatium dabit*

Matt. 11. 2

h. 6. 37.
 heb. 5. 15.

animabus vestris) nulla hîc est intercessio-
 ne opus; eum qui venerit ad me, non eji-
 ciam forâs. Non enim habemus Pontifi-
 cem, inquit Auctor ad Hebræos, qui non
 possit affici sensu infirmitatum nostrarû;
 sed tentatum in omnibus, similiter (atq;
 nos) excepto peccato. Et væ vobis sacrifi-
 culis; si tam durâ habetis patronã; ut vel
 quinquagies vos eam sollicitare oporteat.
 donec illa semel pro vobis intercedat!
 Quanquam utut res hæ sese haberēt, nul-
 la tamen est necessitas consecutionis in
 hoc Enthymemate.

*Quinquagenarius numerus Jubilæi signi-
 ficat plenam peccatorum remissionem.*

*Ergo quinquaginta precibus continuo
 murmure iteratis, oportet Mariam
 inuocare, pro peccatorum remissione
 per Christum consequenda.*

Si sic ineptire libet; vel pluviam siccam
 esse demōstrabo; quia cras est dies Pauli.

MES. XII.

DE CALCULIS ROSARII.

Restat quinta pars Rosarii; calculi vi-
 delicet, quibus rationes expensarum pre-
 cum, & accipiendarum indulgentiarum
 conficiuntur: quos noster Demonstrator
 preca-

precarios vocat; forté, quia precarió possident eos Franciscani.

*In calculis precariis, inquit, nihil superstitio- Prof. 10.
tionis haeret.*

Licet enim (attende Lector rationem) illis Christi fideles nunc laudabiliter utantur, tanquam simbolo manifesto Romanae Religionis: usus tamen eorum, Patrum memoria, in Ecclesiam nõ alia de causa primúm inductus est, quam ut ne in numero orationum persolvendo, sensili tactu aspectuq, calculorum facile aberraremus.

Non exagitabo ineptam tuam occupationem. Argumētum saltem princeps ponderabo;

Calculi precarii non sunt superstitiosi:

Quia initió ob hanc causam inventi sunt, ne sensili tactu, in numero precum erraretur.

Mera est petitio principii. Nam hoc ipsum iam quæsitum est, an Deo certum numerum orationum persolvere oporteat, pro gratia mercanda, quod nondum obtinuisti. Et nunc iterum quæritur, an non sit superstitiosum, Deo preces calculis annumerare. Ito igitur, & alia argumē-

ta quære. Imó veró jam in promptu sunt.

HEB. XIII.
IOF. II.

Sect. 20.
lib. 6. c. 29.

Paulus de Lybia (antea ex Ægypto eum advocasti, nunc ex Lybia vocas, tandem etiam ex Orco revocabis, ut tertio testem adhibere possis) *quingentorum Monachorum Pater*, ut est apud *Palladium*^a & c. *Sozomenum*^b, solitus est indies trecentas orationes Deo (tertium nota, Deo, nō Mariæ) quasi tributum persolvere, & ne numero delinqueret, ad singulas orationes lapillum in sinum iactare. (ex sinu, habet Sozomenus. Nam antequam oraret, in sinum numerabat)

Claram quoque sanctissimam feminam Orationes Dominicas congerie Lapillorum Domino (quartum nota, Domino, nō Dominæ) *annumerasse*, res ab eo gesta (h. e. Legē de, quas ipse Lazius, Papista, mendacii arguit, in præfatione ad *Abdiam Babylonium*) *testantur*.

Ergo calculorum usus in precibus Rosarii non est superstitiosus.

Rursus est petitio principii. Nam ut de facto constet, de jure tamen quæritur. Ergo perge.

IOF. 12.

Calculorum usus est vetus, ut saxa sepulcrorum antiquissima loquuntur.

Men-

Mendacii usus longé est vetustior, ut monumenta Mosis antiquissima simul, & veracissima testantur. Perge.

Non alio fine primúm usurpati videntur, TH. XIII. quám ab Oratoribus olim loci & imagines, ad Prof. 13. retinendam verborum rerumq; memoriam. hoc est calculi sunt inventi, ne numeri precum obliviscamur. Ergo non sunt superstitiosi.

Ridetur chorda qui semper oberrat eadem Nihilne potes quám principium petere? Nihil. Ergo petas iterum.

Calculi primúm non alio fine sunt inventi, Prof. 14. quám á mercatoribus nummi ærei, ad annumerandas ingentes pecuniarum summas, ut videlicet Deo quoque & Mariæ ingentes precum summæ annumerari possint.

Ergo non sunt superstitiosi.

Denuó, propter crassos Monachos, ut recté percipiant hãc formã argumētandi.

Calculi non alio fine primúm usurpati sunt, quám ab Ecclesia Catholica cruces, imaginesq; Christi & sanctorum, ad cōservandam Christi & sanctorum recordationem. Nimirum, ut eodem modo serviant, ad precum profusarum recordationem. Ergo non sunt superstitiosi.

Sufficit, Domine Magister. Nam si ob-
esi ventres nondum vident, quid Petitio
principii fit, culpa non est tua, sat multis
exemplis declarasti. Nunc aliud profer, si
quid habes.

THES. XV.

DE MYSTERIIS CALCULORUM.

*Quod calculi postea in certum numerum
reducti sint, ad commonefaciendum, 2 quod
Pontificis summi Benedictio, 3 cum amplissimis
indulgentiis accesserit: 4 quod nummis cruci-
busve argenteis, aereis, ligneis, ornentur: eâ nō
superstitionem auxerunt, sed religionem.*

Unde nobis ista? Nam supra, cum de statu
Controuersia ageretur, & cum tu quæ-
stionem lacerares: quinque tantum par-
tes factæ sunt: hæ quatuor, quas nunc ad-
dis, nusquam apparuerunt. Sed Lectori
parcamus: & de rebus ipsis, quàm fieri
poterit, breuissimè disseramus.

*Calculi, inquis, postea sunt in certum nu-
merum reducti: ad commonefaciendum: de
vita Christi Sanctorum.*

res usus
calcolorum.

Nempe tres sunt vobis usus calculorum;
unus, in precibus numerandis: alter, in
Meritis Romanis à Catholicis Christia-
nis discernendis; tertius, in commonefa-
ciendo

ciendo de vita Christi & Sanctorum. Ad hunc postremum usum dicis calculos in certum numerum esse redactos. Contrarium dicit Sozomenus; eo ipso in loco, quem tu autem citasti. Testatur enim, antiquum illum Eremitam, Paulum de Lybia, & Paulum de Ægypto; (nam his lar- TH. 10. & 13) vis tu ex uno Paulo duos fecisti, quó plures tuæ superstitionis testes haberes) non aliam ob causam lapillos ad certum numerum, nempe ad trecentos, redegisse; quám ut, omnibus ad singulas orationes sigillatim é sinu jactis, sciret, se debitum integrum Deo soluisse. Dominicanus etiã, qui primus Rosarium excogitavit; circa annum Christi. 1200; non ad commonefaciendum; sed ad preces numerandas, quinquaginta quinque lapillos fabricavit, & in modum ferti junxit; sic, ut denis minoribus, quinque grandiores interponerentur; ut est in Speculo Rosariorum. Nõ ergo propter mysticas significationes; sed ad rationes precum conficiendas calculi primùm ad certum numerum sunt redacti. Significationes illæ postmodum accesserunt; & sic aucta fuit superstitio. Nã malum malo iunctum; majus malum fa-

cit. Sed tu negas, myſteria veſtra eſſe ſuperſtitioſa. Audiamus igitur argumentū.

THES. XVI.
Prof. 16.

Sicut, inquis, Joſua, ſacri dux exercitus, filiis Iſrael Jordanem ſicco veſtigio tranſeuntibus, duodecim lapides grandes, ex alveo in caſtra pié & religioſé deſerri mandavit: ut nēpe apud poſteros percontantes, quid ſibi velint lapides iſti? perpetua miraculoſi tranſitus extaret memoria. Sic Maiores noſtri pié & religioſé, quinq; grandiores calculos Roſarijs inſeruerunt, ut hæreticis ea ridentibus percontantibusque, quid ſibi velint quinque calculi iſti? quid Roſarium totum? Reſpondeatur, eſſe ſymbola quinque vulnerum, quæ Chriſto pro noſtra ipſorumq; (Gratia ſit tibi; quod nobis Hæreticis etiam relinquis aliquid de fructu vulnerum Chriſti.) ſalute ſint inſicta: Roſarium veró eſſe compendium quoddam Novi Teſtamenti, doctrinæq; Chriſtiane.

Breuitè: Joſua pié fecit, quód 12. lapides ex medio Jordanis exſiccati ſecum in caſtra tulit: ad perpetuam miraculi memoriam. Ergo & Majores noſtri pié fecerunt, cūm quinq; calculos Roſarii grãdiores deſtinarent ſignificandis quinque vulneribus Chriſti. Ecquæ veró ſimilitudo eſt in his exemplis. Joſua expreſſum

man-

mandatum Dei habuit: Majores vestri quodnam habuerunt? Josua suos lapides ex ipsa miraculi materia sumpsit: Majores vestri, unde suos acceperunt? ex sylva opinor, ex latomia, ex argentifodina. Nam neque ipsi vixerunt, cum Christus crucifigeretur: neque si vixissent, perinde calculos ex vulneribus Christi legere potuissent: atque Nicodemus sanguinem chirotecis suis excepit: qui Rupellæ adhuc nostra memoria visus & adoratus fuit. Deniq; Josua 12. tantum lapides, uno castrorum loco collocavit: Majores vestri quinquagenos quinos, infinitum repetitos, per totum orbem a suis bajulis circumgestari voluerunt; digni profecto, qui grandes illos lapides, de quibus noster JEHOSCHUA in Matthæo loquitur, gestassent; & quod cap. 18. v. 6 caput est, non ad nudam recordationem sed ad religiosam venerationem, & ad cultum Dei, consecrarunt, cum penes Deut. 12. v. 3 solum Deum sit, quo modo coli velit. Quamquam de nuda etiam recordatione meminisse debebant id, quod Christus ad Judæos dixit, Scrutamini Scripturas; illæ sunt, quæ de me testantur. & quod Paulus ad Galatas scripsit, Christum prædicatio-

8. 31. 32.
Math. 15.



ne Euāgelii hominibus ob oculos depin-
gi, & velut inter ipsos crucifigi, ut ejus vul-
nera intueri possint, quoties lubet, & aliis,
præferrim tam ineptis, ad miniculis me-
moriæ non habeant opus.

*At, inquis, Scriptura non ab omnibus le-
gi potest?*

Ergo vos eó crebrius populo prælega-
tis, & qui ipsi legere non possunt, eó fre-
quentius ac diligentius auscultent præle-
ctiones vestras. Quanquam multi legere
possunt, quibus per vos non licet.

*Sed hoc est COMPENDIUM Novi Te-
stamenti?*

Vobis doctoribus est compendium, ut
munere docendi lapidibus commisso, re-
verendæ vestræ dignitates in pace requi-
escant. Plebi veró non est compendium
doctrinæ, sed dispendium salutis. Nã quid
quæso discunt inde?

*Capita, inquis, fidei Catholicæ: ut myste-
rium S S. Trinitatis, incarnationis, passionisq;
Christi, cultus Dei & SANCTORUM, præ-
ceptorum Decalogi, Justificationis, & vitæ
eternæ.*

Veteres ex pede anserino Satanam a-
gnoscebant, si quando se in Monachum
trans-

transformasset. Tu pedes humanos habes, & caput humanum, pectus veró, quale nam occultas? Cappam paullúm diducemus, ut possimus introspicere:

Doctrina de cultu Sanctorum est etiam caput fidei Catholicae: & pars Compendij novi Testamenti.

En pectus Diabolicum! Quid est in Novo Testamento de cultu Sanctorum? imó quid in tota Scriptura Canonica? mandatum nullum: exemplum nullum, prohibitiones sexcentæ, comminationes infinite. Sed cappa rursus coëat, & Monachus non appareat monstrosus. Quid? illa veræ pietatis capita, de SS. Trinitate, de incarnatione & passione Christi: de cultu Dei, de justificatione & vita æterna quomodo ex lapillis intelligentur? Declaratione scilicet erit opus. At quæ declaratio necessarió longior erit, quam septē Symbola Apostolica, & septies septem Decalogi. Cur ergo hæc compēdia á Spiritu Sancto facta non retinetis?

Quia videlicet, ea non á quovis legi possunt. Hoc veró nostrum etiam á litterarū imperitis, á cecis, in equis, & curribus, in tenebris densissimis legi potest.

Etiámne á Martyribus, qui manus habent post terga revinctas? ô insanos Lappilectores! Symbolum Apostolicū cōtinet Summam doctrinæ fidei, Decalogus doctrinæ charitatis, quam Summam, si quis semel recté didicerit, quovis tempore & loco, non tantúm sine oculis, sed etiam sine manibus, sola mentis agitatione legere, relegereq; potest, amittere nūquam potest. Nec enim vel usuteritur, vel á furibus surripitur, vt compendium vestrum, præsertim si sit deauratum. Non est igitur, quod de commoditate calculosi Compendii rhetoriceris, non est quod de necessitate dicas: incommoditatem agnosce, injuriam Spiritui Sancto factam deprecare, blasphemiam intermitte, & tandem sputare cessa. Nondum veró cessabo, ais, sed hoc prius defendam, quod dixi:

H. XVIII.

DE BENEDICTIONE CALCULORUM.

Summi Pontificis benedictionem non auxisse superstitionem.

Defende tu prius, quód **IPSA NON SIT** superstitiosa: quid effecerit, postea per se patebit. Non est, inquis:

Ios. 17.

Quia calculos, alioqui profanos, solemnib.

preca-

precationum verbis in pium usum fidelium destinat.

Quomodo pius usus esse potest is; qui pugnat cum Verbo Dei: & in contumeliam Christianæ Spiritus sancti vergit? Aut, efficiet ne Pontifex suis precibus, ut Deus sibi ipsi contradicat; ut hodie sacrum censcat, quod olim detestabatur? Et quis fuit iste Pontifex, qui à Deo petiit, ut superstitione fieret pietas? Sixtus IIII. Scortator, Cynedus, luxuriosus, fur, injustus, avarus, tyrannus, leno, lupanariū exstructor, meretricii quæstus autor. Cujus instinctu petiit? instinctu Alani, monachi Dominicani, hominis impuri; qui B. Virginem Mariam in sua cellula sponsæ loco habuit; ejusque papillas non minus, quàm Christus infans, suxit atque contrectavit; ut in principio libri, qui super hoc negotio tūc est editus, narratur. Scilicet, hi tantā rem à Deo, & tam magnam, impetrarent!

Atqui non aliter, inquis, calculos consecravit Pontifex: quàm ritu Ecclesiæ per vetusto, aqua, sal, calices, cerei, herba, templa denique ipsa, benedictione Sacerdotis ad sacrum usum destinantur.

Credo. Sed quis jussit Papam; Sal, a-

N. C. 1470

Bapt Mant

Platina.

Bapt. Fulg
sus. Wesse

lus Gron.

alii.

Prof. 18.

quam, herbas, ad sacros usus, hoc est, ut vos interpretamini; *ad sanandas animas & corpora fidelium: ad delenda delicta: ad fugandos demones*, destinare? Aut potuitne Papa vim illam rebus illis instillare? Ita, inquis. Dicit enim Paulus;

ros. 19. *Omnis creatura sanctificatur per Verbum Dei & preces.*

Tim. 4. 5. Per verbum Dei, dicit Paulus, non per verbum PAPÆ; & per preces fidelium, non idololatrarum, ad usum denique divinitus ordinatum, non ad eum qui divino ordini repugnat. Roga Deum ceteris milibus, recitato prius Euangelio Johannis, ut togæ tuæ vim avertendi globos tormentorum indat, postea libris domi relictis ab militatum, & experieris quantum profeceris rogando, experieris inquam, quod Deus non in fontem habeat eum, qui nomen ipsius temerè usurparit. Quemadmodum nec Sixtum quartum habuit infontem. Nam & Romæ in tumultu quodam crebris lapidibus ad necem ferè petitus est, hic lapillorum consecrator, & in inferno, diuinarum ultionum grandine perpetuò petetur. Ac profectò miror, quòd non pudeat vos locum illum Pauli
huc

huc citare, qui si integer spectetur; amplif-
simus est apostasiæ vestræ testis.

Spiritus (inquit Paulus) *diserté dicit, fo-*
re ut posteriorib. temporib. desciscant quidam
á fide, spiritibus deceptoribus attendentes, ac
doctrinis DÆMONIORUM, per hypocrisin
falsiloquorum, quorum cōscientia cauterio re-
secta est: prohibentium contrahere matrimo-
nium, jubentium abstinere á cibis, quos Deus
creavit, ad participandum cum gratiarum a-
ctione, fidelibus, & iis qui cognoverunt veri-
tatem. Nam quicquid creavit Deus, bonū est:
nec quicquam reiiciendum est, si cum gratia-
rum actione sumatur. Sanctificatur enim per
Verbum Dei & preces. hoc est, sancté vsur-
patur, nec quenquam polluit, si iuxta ver-
bū Dei, in agnitione & celebratione ejus
qui dedit, sumatur. En speculum Sancti-
tatis vestræ!

Qui prohibet conjugium, & cibos ho-
mini á Deo datos, est spiritus deceptor, est
DÆMONIUM, est hypocrita falsiloquus,
& conscientiam habet cauteriatam. Pa-
pa hoc facit. Ergo. cætera nosti.

Et nos á DÆMONIO disceremus, quo-
modo DEUS sit colendus, quibus & quoe
precibus sit invocandus! absit ut hoc un-
quam faciamus.

H. XIX.

De Indulgentiis ad Rosarium datis.

Ergo, inquires, nec Indulgentiis fruemini, quas Pontifex dispensat, nominatim iis, qui Rosarium orāt, quæ profecto sunt amplissima:

Nam ad terna quæq; Rosaria SEXAGIES MILLE annorum indulgentiæ datæ sunt: ut Alanus ex diversis Bullis eas computavit.

Nos veró nil curamus indulgentias istas, hoc est, aurum ex fimo coctū. Et scimus: alienū esse a vicario Christi, impœnitentibus peccata remittere; alienius, remissionem peccatorum vendere; alienissimum, peccandi licentiã Christianis dare, & impunitatē polliceri, & hæc omnia, propter merita, non solum Christi, sed etiam Sanctorum, quibus ipsi scilicet abundarint, & quæ in thesauro Ecclesiæ afferventur, ut Pontifex distribuat egenis.

of. 20.

Fructum tamen, inquis, indulgentiæ istæ maximum afferunt. His enim allec̃ta plebs fidelis, numero majore, studio ardentiore, adorandum Deum (nōne etiã Mariam?) concurrit, pro rebus maximis, pro Ecclesiæ Catholicæ incremento, pro concordia Christianorum Principū, pro extirpatione hæresium.

O miseram plebem, quæ hos fumos captat!

ptat! ô lamentabilem concordiam, quam vos vestro concursu sociatis! ô felices hæreses, quas Satan extirpare cupit!

De Imaginibus Rosario appensis.

TH. IX.

Mentionem etiam fecisti in Thesi extravagante imaginum, quæ Rosariis appendantur. Quid de illis porro habes dicere?

Quod non augeant superstitionem.

Si ipsæ non essent superstiosæ. Non sunt, inquis:

Quia, nec mysticum significatum, nec usum Prof. 21.
habent aliū, quàm imagines in templis.

Et quem illæ habent usum? duplicem videlicet:

Primus est, ut memoriam nobis renovent rerum à Christo Sanctisq; gestarum.

Lignum est eruditio vanitatis, inquit Jeremias. Et Concilio Eliberino placuit, Ier. 10. 8. Conc. Eli c. 36. circa an. N.C. 3 picturas in Ecclesiis esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur.

Alter usus imaginum est, ut in vel coram illis prototypum veneremur & invocemus.

Deus non in imaginibus, sed in cælis vult invocari, vult nos SURSUM CORDA

evit. 26. 1. tollere, & expressé vetat, ne quis LAPIDEM PICTUM ponat in terra sancta, ut coram eo se incurvet. Ac in Decalogo Deos alienos vocat, omnes imagines, quæ ad cultum prostituuntur, sive eorum quæ sunt in cælo, ubi ipse etiam est, & Christus à dextris ejus, sive eorum quæ sunt in terra, sive eorum quæ sunt subter terram. Sancti veró, neq; coram imaginibus, neque alibi, sunt invocandi, ut supra fuit dictum. Est igitur uterq; usus imaginum, & in templis, & in Rosariis, superstitiosus.


Et sic, Dei beneficio, ad finem perduximus disputationem istam, non tam argumentis difficilem, quàm nugis & blasphemis molestam. Voluit Magister noster demonstrare, Ritum precandi Rosarium B. virginis non esse superstitiosum: & quó id commodius faceret, h. e. quó facilius falleret imperitos: discerpit Rosarium in quinque partes: quibus tamen postea alias quatuor addidit: & de singulis seorsum egit: cum tamen non de singulis seorsum, quales sint: sed de omnibus inter se conjunctis, qualenam monstrum efficiat, initio sit quæsitum. Verum ne singulas quidem partes potuit à superstitione libe-

liberare. Et cognouit Lector: quomodo
 circa nomen Rosarii ineptiverit: quám sa-
 crilega audacia Orationes Dominicas
 Mariæ offerendas asseruerit: quantam i-
 dololatriam per Salutationem Angelicã
 exercuerit: quanta cum contumelia Chri-
 sti Mariam Mediaticem constituerit: &
 pro annumeratis calculatisque suis preci-
 bus remissionem peccatorum postulãrit.
 quantam injuriam auctori Decalogi &
 Symboli ligneo suo compendio, fecerit:
 quám manifestum crimen falsi in cultu
 Sanctorum Novi Testamenti libris infar-
 ciendo commiserit, quám nefando sce-
 lere indulgentias, in quibus merita San-
 ctorum, in nobis redimendis, cum meri-
 tis Christi copulantur, approbãrit: quanta
 denique cum ignominia Dei, veneratio-
 nem imaginum & statuarum confirma-
 rit: præter & contra Verbum Dei: quod
 S O L U M continet normam pié beateque
 vivendi: & secundum quod nos S O L U M
 Deum invocamus: in nomine unigeniti
 filij ipsius, Domini nostri Jesu Christi: qui
 S O L U S nos redemit: & adhuc nostram
 causam agit apud Deum: precesque no-
 stras, non numero æstimatas; sed odore


sacrificii sui delibutas, offert Patri: & gratiam ab ipso nobis impetrat; non vt deinceps securé peccemus; sed vt sine metu ipsi seruiamus, cunctos dies vitæ nostræ; hîc & in cælis, Amen.

F I N I S.

Stille
nein ein
dem h
gründ
gute
deshalb
begeg
falsch
Jahre
beim
auf m
kommen
der



111
112
113
114
115
116
117
118
119
120



AB:40 $\frac{14}{h,7}$

ULB Halle

3


004 340 566




7



181.





ANTIROSARIUM,

Sive

REFVTATIO
THESIUM M. GODE-
FRIDI DRIELIS NOVIO-

magi: Pontificiæ Theologiæ apud Jesui-
tas Moguntinenses studiosi:

*Quibus demonstrare voluit, Ritum precandi Rosarium B.
Virginis Mariæ non esse supersticiosum:*

Scripta à quodam Christianæ Theologiæ stu-
diofo, in Academia Heydelbergenfi.

1. Ioh. 5. 21.

Filioli, cavete vobis ab idolis.



Apud Joannem Mareschallum
Lugdunensem,

M D L X X V I I.